



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica vigesima

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

vamus Eucharisticum Psalmum : *Benedic anima Domino, & omnia, quæ intra me sunt, Nomi ni sancto ejus.* Gratiarum actio est novarum provocatio. Amat sacerdolum gratos : Quid ergo Deus ?

### Dominica XX. post Pentecost.

#### EXHORTATIUNCULA I.

**O** Fili ! quid hoc ? tot homines moriuntur quotidie : Et nos adhuc vivimus hilares, & integri ? an non cum Jeremia exclamemus : *Misericordia Domini ! quia non sumus consumpti.* Ubi corpus ? ubi anima , si Dominus non adjuvisset nos ? gaudet Deus esse beneficus. Expectat, qui accipient. Promptior ipse largiri, quam nos accipere.

#### *Instructio meritoria.*

Cur beneficium conservationis quotidiana perpendimus tam modicè ? tandem ô fili ! tandem ô dilecte ! compensemus, tam in examine particulari, quam generali illud in specie rememorando, & in perpetuam Conservatoris venerationem manè , ac nocte *Te Deum Laudamus* orando. Respondeamus & Ser-

G vatori

146 Dominica XX. post Pentecost.

vatori Optimo vitâ prorsus exemplari, & virtuosâ : *Qui enim de sua spe, & operatione securus est, confessim aperit pulsanti, & cum tempus propinqua mortis advenerit, de gloria retributionis hilarescit.*

II.

**Q**uartuor sunt hominum genera, ait S. Bernardus, qui cupiunt possidere regnum cœlorum, aliqui violentâ rapiunt sui abnegatione : Alii eleemosyñis mercantur. Hi occultando opera bona furantur : Illi ad hoc compelluntur immissione variarum afflictionum, & multarum ærumnarum. Charissime ! ex quorum numero sumus nos ? si ex omnium : Gaudeamus in Domino, & observemus, quod S. Augustinus : *Ora ut traharis.*

*Instructio meritoria.*

Ita est ! trahat nos Deus, ut toti vivamus ad hujus nutum, & Beneplacitum. Renovemus igitur S. Professionem, & hujus renovatione nostram animam cum omnibus potentiis, & viribus SSS. Trinitati de novo consecremus in fine sub-



subjungatur Canticum : *Magnificat* cum  
S. Bernardi desiderio : *Deus ! pro his  
omnibus, quod reperdam, non habeo, ni-  
si tantum, ut diligam.*

## III.

**I**Ncrepamus jam iterum à Christo di-  
cente : *Nisi signa, & prodiga vide-  
ritis, non creditis.* Misera fides ! quæ  
sensibus regitur. Palpari non vult Deus,  
sed in simplicitate cordis, & vivacitate  
spiritus adorari. Beati, qui non vide-  
runt, & crediderunt. Terreat nos in-  
credulitas Thomæ ; trahant verò evan-  
gelia Ecclesiæ !

*Instructio meritoria.*

Optima oratio, quæ procedit com-  
puncto corde. Non ore, sed mente ve-  
niamus ad Dominum, præsertim, dum  
hora Sacramentalis Communionis, &  
Adorationis SS. Venerabilis. Ad Fidei  
nostræ probationem, quoties intendi-  
mus in ecclesia precibus, id erectis ma-  
nibus, & clausis oculis fiat. Per hos  
intrat spiritus, non per manus, aut sensus  
vagabundos, atque dissolutos. Sub-  
jungantur denique *Litanie* de SS. Alta-

148 Dominica XXI. post Pentecost.

ris Sacramento, aut de Suavissimo No-  
mine Jesu.

Dominica XXI. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

**I**Rascitur hodie Dominus non famulo,  
sed hujus iniquitati, non passione  
odii, sed amore justitiae, non turbatione  
mentis, sed fortitudine spiritus. Hac  
ira justa, & sancta est. Quæ verò no-  
stra? an non quotidiana? sed & ira ho-  
dierni Domini in evangelio simillima?  
fili! *omnis amaritudo, & ira & indigna-*  
*tio tollatur à vobis.* Est mea cum Paulo  
ad Ephesios admonitio.

*Instructio meritoria.*

*Irasci hominis est*, ait Hier. *sed iram*  
*non perficere, Christiani.* Ergo dum mo-  
tus vehementior insurgit ad iram, intrà  
nos recollecti, à nobis ipsis sine mora  
interrogemus: *Cur irascendum?* *qui-*  
*bis irascendum?* *quomodo irascendum?*  
*quando irascendum?* *quousque irascen-*  
*dum?* sic raro, vel nunquam succumbe-  
mus. Ne impotens haec in nobis præ-  
valeat passio, *Feriam VI. jejuniò, & si-*  
*lentiò*

